

§. 5. Omnes corporis hujus mundani partes *graves* sunt, h. e. nisu recto perpendiculariter intra totum tendunt. Aliquæ tamen vehementiùs & fortiùs nituntur, quarum respectu reliquæ minùs vehementi nisu deorsum tendentes *levitatis* notam subeunt.

§. 6. Cumque Corpus Terraqueum se componat in rotunditatem sphericam, patet, lineas tendentiæ, quas vulgò dicimus *Lineas directionis & erectæ staturæ*, licet inter se parallelæ videantur, omnes tamen reverà divergere sursum, deorsum verò productas in centro Globi concurrere. Vid. Fig. 27. 28. 29. 30.

§. 7. Rotundum autem esse Corpus Terraqueum, saltem physicè, cavitatibus & eminentiis ad totum ob nimiam ejus amplitudinem sensibili ratione destitutis, ex successivâ detectione regionum se continuò insequentium, ad circuli leges quaquaversum fieri solità, colligitur, Vid. Fig. 27.

*Idem confirmatur sphericâ illâ successione tum ortus aut occasus Stellarum, tardioris aut maturioris; tum elevationis aut depressionis poli majoris aut minoris, per loca versus mundicardines, h. e. in longum & latum se continuò insequentia, comparatis observationibus deprehensâ. Maximè verò per Eclipses lunares extremitatem umbræ, adeoque ipsius corporis terrestris Lunam obstructo Sole obfuscantis, ubique rotundam velut ad oculum exhibentes.*

§. 8. Amplitudo Globi Terraquei circumferentiâ 5400. milliariibus germanicis per Geodæsiæ regulas æstimatur, ut singulis gradibus 15. milliaria respondeant, & quaternis minutis graduum unum milliare: Unde sequitur, *Diametrum* Terræ h. e. punctis oppositis interceptam rectam Terræ centralem, ad 1720. milliaria propè verum extendi; ut *Semidiameter* sit 860. mill. *Hæc longitudine (860. mill.) tanquam mensurâ nobis familiari ad instar Perticæ mundanæ utuntur Astronomi, sub charactere Sd. T. id est, Semid. Terræ.*

§. 9. *Superficies* Terraquei Globi, ferè novem millenis & trecentis millibus milliariibus quadratis in orbem longè lateque patens, *Orbis Terrarum* nomen habet, qui licet obscurus sit de se; partibus tamen aliis *opacis*, insimulque rugosis & asperis, nempe terreis; aliis *pellucidis*, & quodammodò *levioribus*, nimirum aqueis, interstinctus radios solares inæqualiter quidem & confuse,